... Pro-

videntiam.

in typ. Coll. Leopol. S. J.
1706.

DEVOTIO
Ad
DIVINAM
ROVIDENTIAM.
Atq; Obligatines & Indulgentiæ
CONFRATERNITATIS
SUB PROTECTIONE
DIVINÆ
PROVIDENTIÆ
Anno 1689.
ERECTÆ
Et ab INNOCENTIO XI
Romano Pontifice
CONFIRMATÆ.

rerum in Typ: Col: LEOP. Soc: IESV
Impressa: Anno 1706.



Ne dicas coram Angelo
Non eſt PROVIDENTIA
ne forte iratus DEVS cont
ſermones Tuos, diſsipet cun-
cta opera manuum tuarum.
Eccleſ. 5: v. 5.





OFFICIUM DE DIVINA PROVIDENTIA

AD MATUTINUM

Adoremus Providentiam Altissimi: Nos populus, & oves pascuæ eius.

℣. *Domine labia mea aperies.*
℟. *Et os meum annuntiabit laudem tuam.*
℣. *Deus in adiutorium meum intende,*
℟. *Domine ad adiuvandum me festina.*
℣. *Gloria Patri & Filio &c.*
℟. *Sicut erat &c.*

HYMNVS

ÆTerne Rector ſiderum,
Qui, quidquid eſt, Potentiâ
Magnâ creaſti, nec regis
Minore Providentiâ,
Te turba prædicat famens,
Trinâ die tecum manens,
Quam paſcis auctis panibus,
Rem plurimis ſtupentibus,
Panis deeſt, deeſt cibus,
Sed provides Paſtor Fidus,
Parasque mirabilia,
Satiando multa millia.

ANTIPHONA

Nolite Soliciti eſſe dicentes: quid mã-ducabimus? aut quid bibemus? ſcit enim Pater veſter Cœleſtis, quid vobis neceſſe ſit. *Mat.* 5.

℣. *Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet;*

℟. *Non dabit in æternum fluctuationem juſto,*

℣.

℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

OREMVS,

DEVS, cuius Providentia in ſui diſpoſitione non fallitur, te ſupplices exoramus: ut noxia cuncta ſubmoveas, & omnia nobis profutura concedas. Per Dominum noſtrum. ℟ Amen.

AD PRIMMAM.

Adoremus &c. *Cum reliquis ut ſupra in Matutino.*

HYMNVS,

TV Paſtor es famentium,
Tu Dux es exerrantium.
Tu medicus ægrotantium,
Tu ſidus es natantium.
In rebus es ſpes perditis,
Redemptor in divenditis,
Tu nos iuvas in proſperis,
Nec in periclis deſeris.
Ditas egenos, advenas
Foves, pupillos recreas,

Viduas paternè protegis,
Omnes benignè contegis.

ANTIPHONA

Dominus custodit advenas, pupillum, & viduam suscipit, *Psal.* 45.

℣. *Iste pauper clamauit, & Dominus exaudivit eum.*

℟. *Et de omnibus tributationibus eius salvavit eum.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

ORATIO

Deus, cuius &c. *cum reliqu, ut supra.*

AD TERTIAM

Adoremus &c *cum reliqu. ut sup. in Mat:*

HYMNUS

SIti peremptus Ismaël.
Inter leones *Daniel*,
Iunior Tobias in itinere,
Ioseph vocat te in carcere.
Sed quid vocare gestiunt,
Adesse quem mox sentiunt,

Præ-

Præbes aquâm, fauces premis,
Monstras viam, vinclo eximis,
Et corde te precantibus
Succurris, adstas omnibus,
Vis colligàri in vinculis,
Optas adesse singulis.

ANTIPHONA.

Clàmabit ad me, & ego exaudiam eũ, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. (*Psal.* 90.

℣. *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum.*

℟. *Omnibus invocantibus eum in veritate.*

℣. *Domine exaudi orationem meam,*

℟. *Et clamor meus ad te veniat:*

ORATIO

DEVS, cuius *ut supra*

ADSEXTAM

Adoremus, &c. *cum reliqu. ut supra,*

HYMNVS.

O Provida Sapientia!
Sapiensq; Providentia!

Tu tangis omne fortiter,
Disponis omne suaviter.
Videmus axis Cardinem,
Marisque certum marginem,
Mundi stupemus ordinem,
Rei creatæ imaginem.
Quid tellus, axis, æquora?
Marisque curta littora
Quid cuncta clament Entia?
Te mirá Providentia.

ANTIPHONA:

Ne dederis cor tuum, ut peccare facias carnem tuam, neq; dicas coram Angelo: non est Providentiâ. (*Ecl. c. 5:*

℣ *Cæli enarrant gloriam DEI,*
℟ *Et opera manũ eius anuntiat firmamẽtũ.*
℣ *Domine exaudi* (℟ *Et clamor meus &c.*

ORATIO

Deus, cuius &c. *ut supra.*

AD NONAM.

Adoremus, &c. *cum reliquis ut supra in matutino.*

HYM-

HYMNUS.

QVodcunq; repit in ſolo,
Quodcunq; volitat in Polo,
Et quod movetur in æquore,
Te toto adorat pectore.
Te, quotquot auram pervolant,
Aves fatentur, quas Tuâ
Nutris, ſine harum prævio
Labore, Providentiâ.
Non deſtruit, non obruit,
Quando halcyon ſibi ſtruit
Nidum, unda, vel fluctus maris:
Et ille fit curæ paris.

ANTIPHONA.

Reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregãt in horrea: & Pater veſter Cœleſtis paſcit illa. *Matth.* 6.

℣. *Oculi omnium in te ſperant Domine,*

℟. *Et tu das eſcam illorum in tempore opportuno.*

℣. *Domine exaudi orationem meam,*

ORATIO

DEVS, cuius &c. *ut ſupra.*

AD VESPERAS

Adoremus &c, *cum reliqu, ut ſupra.*

HYMNVS.

AVrora dum ſpargit polum,
Ros veſtit ut gemmæ ſolum:
Notam facis DEVS Tuam,
Ipſi inde Providentiam.
Per gurgites natantibus
Tu provides & piſcibus,
Quos paſcis omnes congruo
Ex axe victu depluo.
Tu motor es moventium
Tu Spiritus viventium,
Director ordinantium.
Proviſor almus omnium.

ANTIPHONA:

Laudate Dominum, qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibns eum. *Pſal.* 146.

℣. *Aperis tu Domine manum Tuam.*

℟

℟ *Et imples omne animal benedictione:*
℣ *Domine exaudi orationem meam,*
℟ *Et clamor meus ad te veniat.*

ORATIO

DEUS, cuius &c *ut supra.*

AD COMPLETORIUM

Adoremus Providentiam Altissimi:
Nos populus, & oves pascuæ eius.
℣ *Converte nos DEUS salutaris noster.*
℟ *Et averte iram tuam â nobis.*
℣ *DEUS in &c.* totum.
℟ *Domine &c:* totum.
℣ *Gloria Patri &c. Sicut erât &c:*

HYMNUS

TV, quæ gubernas omnia,
Regisq; Providentiâ,
Piâcla nostra dilue,
Virtutis actus instrue.
Quod est futurum, prævidens,
Præsens quod est, huic providens:
Largire quidquid prosperum,
Et tolle quidquid noxium.

Laus

Laus ſit Patri Potentiâ,
Laus Filio Sapientiâ.
Laus Pneumati influentiâ
Orbem regenti in ſæcula.

ANTIPHONA

Omnem ſolicitudinem veſtram proiicite in DEVM, quoniam ipſi cura eſt de vobis. 1. *Pet.* 5.

℣ *Cuſtodi nos Domine ut pupillam oculi.*
℟ *Sub umbra alarum tuarum protege nos.*
℣ *Domine exaudi orationem meam.*
℟ *Et clamor meus ad te veniat.*

OREMVS

DEVS, cuius Providentia. &c: *ut ſup.*

COMMENDATIO.

INter Beátos nomina;
Quicunque laudis carmina
Canendo PROVIDENTIÆ
Se deuovent DEVS Tuæ, Amen.

*****
***
**

LITA-

LITANIÆ
DE SANCTISSIMA PROVIDENTIA
ex
Locis Sacræ Scripturæ excerptæ.

KYrie eleiſon:
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos,
Chriſte exaudi nos.
Pater, qui omnibus providiſti in Creatione, miſerere nobis.
Fili, qui omnibus providiſti in Redemptione, miſerere nobis:
Spiritus Sancte, qui omnibus providiſti in Tui miſſione, miſerere nobis,
Sancta Trinitas, â quâ, per quam, & in quâ ſunt omnia, miſerere nobis. *Ad Rom.* 11.

Deus

Deus, qui tua Providentiâ quinque millia virorum. quinque panibus & duobus piscibus satiasti. (*Ioan.* 6.

Deus. qui tuâ Providentiâ quatuor millia septem panibus, & paucis piscibus replevisti. (*Marci.* 5.

Qui in Cana Galilææ tua Providentiâ aquam in vinum mutasti *Ioan.* 2.

Qui Petrum Carceri inclusum tuâ Providentiâ manibus Herodis, per Angelum eripuisti. *Act.* 12.

Qui Noë tuâ Providentiâ à cõmuni diluvio præseruasti. *Gen.* 8.

Qui Loth tuâ Providentiâ de Gomorrheo, & Sodomitico igne eduxisti *Gen.* 19.

Qui ad vocem Ismäëlis siti emorientis oculos Agar aperuisti & tuâ Prouidentiâ per Angelum ei aquam indigitasti: *Gen.* 21.

Qui Ioseph à Fratribus venditum tuâ Providentiâ in Ægypto exaltasti, &

Miserere nobis.

Miserere nobis.

per

per eum toti Ægypto panem providisti. (Gen. 45.

Miserere nobis.

Qui Moysen in Fiscella scirpeà occlusum, & aquis impositum tuâ Providentiâ conservasti: (Exod. 2.

Qui Israeli à Pharàone fugienti aquas Maris tuâ Providentiâ exsiccasti, & Equitatũ eius cum curribus submersisti. (Exod: 14.

Qui Israelitis in Mârath amaritudinẽ aquarum tua Providentiâ in dulcorem vertisti. (Exod: 15.

Qui Israelitis tuâ Providentiâ coturnices pluisti (Ibid: 16.

Miserere nobis.

Qui Israelitis in Raphidim tuâ Providentiâ âquas de petra eduxisti. Ib 17.

Qui Samsoni siti enecto è dente molari in maxilla asini aquas tuâ Providentiâ prosilire fecisti. (Iud. 15.

Qui Saul Patris asinas quærentem tuâ Providentiâ ad Samuelem perduxisti, & in Regem ab eo ungi voluisti. (1. Reg: 9:

Qui

Qui per inermem David tuâ Providentiâ de grandi Goliath triumphantẽ opprobriũ ex Israel abstulisti: *Ib.* 17

Qui Eliam in torrente Carith tuâ Providẽtiâ per corvos pavisti. 3 *Reg:* 17

Qui per Mulierem Sareptanam Eliam tuâ Providẽtiâ sine diminutione farinæ, & olei satiasti. (*Ibid. eod.*

Qui Eliæ per Angelum tuâ Providentiâ panẽ subcinericiũ misisti: *Ib.* 19.

Qui per Elisæum Viduæ pauperi tuâ Providentiâ oleum multiplicasti. 4. *Reg.* 4.

Qui per Elisæum viginti panibus centũ viros, ita ut adhuc panis superfuerit, tuâ Providentiâ satiasti: (*Ibid.* 4.

Qui per Raphaëlem juniori Tobiæ tuâ Providentiâ comitatum dedisti, & Patri eius exenterato piscis felle visum restituisti (*Tob.* 5.

Qui Ananiam, Misaelem, & Azariam in medio ignis illæsos tuâ Providentia cõservasti; (*Dan.* 3.

Miserere nobis.

Miserere nobis.

Qui

Qui Danielem in lacu leonum per Abacuc, tuâ Providentiâ ab Angelo eò apportatum pavisti: *Ibid.* 14.

Qui Danielem in lacu leonum à morsibus tuâ Providentiâ intactũ præservasti. (*Dan.* 6.

Qui innocentiam Susãnæ per Danielẽ tuâ Providentiâ detexisti (*Dan.* 23.

Qui Ionam de ventre Ceti post triduum tuâ Providẽtiâ eduxisti.: (*Ionæ.* 2.

DEVS, â cuius Providentiâ omnia exspectánt, ut des illis escàm in tempore. (*Psal.* 103.

DEVS, in cuius Providentiâ est bonũ confidere, quam confidere, in homine. (*Psal.* 117.

DEVS, in cuius Providentiâ est bonum sperare. quam sperare in Principibus. (*Ibid.*

DEVS, cuius Providentia dat escã omni carni. (*Psal.* 135.

DEVS, in cuius Providentiam oculi omni-

Miserere nobis.

Miserere nobis.

omnium ſperant, & das eſcam il-
lorum in tēpore opportuno. *Pſ.* 144.
DEVS, qui tuæ Providentiæ manum
aperis, & imples omne animal bene-
dictione. (*Ibid. eod:*
DEVS, qui ſub tuam Providentiam,
advenā, pupillū, & viduam ſuſcipis:
Pſal. 145: Miſerere nobis.
DEVS, cuius Providentia dat iumētis
eſcam ipſorum, & pullis corvorum
invocantibus eam. (*Pſal:* 146.
DEVS, apud cuius Providentiā nec
unius paſſeris eſt oblivio. (*Lucæ* 12
DEVS, cuius Providētia omnes capitis
noſtri capillos numeravit. (*Ibid.*
DEVS, qui tuâ Providētiâ paſcis vo-
latilia cœli. [*Matt.* 6. Miſerere nobis.
DEVS, cuius Providētiâ veſtit lilia á-
gri (*Ibid.* Miſerere nobis.
Providus nobis eſto, Parce nobis Dñè
Providus nobis eſto, Exaudi nos Dñe.
Ab oblivione beneficiorū tuorū, Libe-
ra nos Domine.

Ani,

A nimiâ curâ & ſolicitudine. Libera nos.
A propria noſtra voluntate. Lib. nos Dñe.
Ab inordinata in adverſis triſtitia,
Per admirabilem Incarnáto tuo Filio factam mundo Providentiam.
Per Providentiſſimam Panis Eucharistici univerſo orbi multiplicátionẽ.

Lib. nos Dñe.

Peccátores, Te rogamus audi nos
Ne peccare faciamus os noſtrum: neque unquam opere dicamus corã Angelo: non eſt Providẽtiâ *Eccl:* 5
Vt nos in te curam noſtram iactare cõcedas, & ipſe nos enutrias. *Pſ:* 54.
Vt nos primum quærere Regnum tuum, & iuſtitiam concedas, & cætera ex tuâ Providentiâ nobis adijcias. *Matt.* 6.
Vt Pontificem noſtrum N. Antiſtitẽ N. & Imperatorem N. Tuâ Providẽtiâ regere, & cõſervâre digneris.
Vt cultores Tuæ Providẽtiæ multiplicare digneris.

Te rogamus audi nos.

Vt

Vt nos omnes ſub tuam Sanctam & ſpecialem Providentiam ſuſcipere digneris, Terogamus audi nos.

Pater cuius Providentia omnia gubernat. Te rogamus audi nos *Sap.* 14.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis.

℣ *Cuſtodi nos Domine ut pupillam oculi.*

℟ *Sub umbra alarum tuarum protege nos.*

OREMVS.

DEVS, cuius Providentia in ſui diſpoſitione non fallitur: te ſupplices exoramus, ut noxia cuncta ſubmoveas, & omnia nobis profutura concedas. Per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum Filium tuum. &c.

ORA-

)*(

ORATIO

Pro impetranda nostræ voluntatis Cum Divina Providentiâ in omnibus conformitate.

DEVS, qñi ad manifestandam Tuæ Providentiæ gloriam, Te famenti Populo Israëlitico in Pastorem, Danieli in Defensorem, Susannæ in advocatū, Tobiæ in Ducem, vendito Ioseph in Redemptorem, tribus Pueris in Conservatorē, Pupills, Advenis, egenis & viduis in Patrem dedisti, & omnia omnibus fieri voluisti: Te humillimè deprecamur: ut sicut de Tua Providētiâ lætamur in Prosperis; ita exultemus in adversis, & quâ spe à Tuâ Prdvidentiâ exspectamus desiderata, eâ tolerantiâ perferamus omnia tibi placita; non extollamur in prosperis, non dejiciamur in adversis. Da nobis Do-

mine

mine animum invictum, cor immobilè, voluntatem in omnibus Tuæ Providentiæ conformem. In Te ſolo quieſcat, & moveatur cor noſtrum, nihil nos turbet quod eſt à Te, ſed omnia ſint nobis chara propter Te. Nihil adverſum nos moveat, quia affligit, ſed placidet cor noſtrum, quia à Te procedit. Agnoſcamus hanc veritatem, quòd nihil ſit parvum, quod à ſummo DEO datur, nihil nocivum, quod ab amantiſſimo Patre, aut injuſtum, quod ab æquiſſimo Iudice provenit. Tua enim ſola Domine Providentia attingis à fine uſq; ad finem fortiter, & diſponis omnia ſuaviter, & quæcunque nobis immittis, licet nobis quandoq; videantur contraria, ſunt tamen in bonũ finem ordinata. Quidquid igitur nobis immittis, da Domine, vt hoc grate excipiamus, lætè teneamus, patienter conſervemus. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. &c: Amen.

ORA-

ORATIO
a Confratre ægroto dicenda.

SVpreme animarum, corporumq; Medice, inexhauribilis fons vitæ, & luminis, Tu qui uno etiam verbo mortuos reſuſcitare potes, Magne DEVS! in cuius manu ſunt hominũ ſortes, ac Providentia omnia gubernat, & abſq; cuius permiſſione nihil Creaturis Tuis evenire poteſt: Ad Te duplici morbo: animæ, corporisq; langvidus exclamo: redde mihi ſanitatem, & tuam, peccatis meis amiſſam, gratiam; ignoſce Domine, quod ego, qui hactenus Creaturis, plus quam Tibi Creatori meo inſerviui; tuam tremendam implorare audeam Maieſtatem; ſcio quidem, quod non ſim dignus aſpicere cælum, qui hucuſq; tantum terram intuitus fui; at non me latet, quod etiamſi mirabilis ſis in cunctis operibus tuis, mirabilior tamen crederis in operibus pietatis; dixiſti enim per Prophetam:

Miſera-

Miserationes tuas super omnia opera tua esse. Miserere igitur mei secundum magnam misericordiam tuam, & redde mihi tàm animæ, quàm corporis sanitatem. Quia si DEVS mi! hæc petitio mea nimia Tibi videatur, & pro Tua gloria, meaq; salute hoc corpus meum, inutile terræ pondus ulterius pati expediat, sana saltem animam meam, & da mihi virtutem sufferendi, quidquid Tuæ Providentiæ placuerit mihi evenire. Per Dominum nostrum IESVM Christum. AMEN.



INDVL-

INDULGENTIÆ
Fratribus & Sororibus
in Confraternitate
SUB TITULO
PROVIDENTIÆ
DIVINÆ.
à
Sanctissimo Patre Papâ
INNOCENTIO XI.
Concessæ.

I.

QUocunq; die aliquis hanc Confraternitatē sub titulo DIVINÆ PROVIDENTIÆ *ingreditur, & se inscribi curat, si verum suorum peccatorum dolorem habet, & confitetur, & Sanctissimum Eucharistia Sacramentum sumit; plenarias suorum peccatorum Indulgentias consequitur.*

II.

Quisq; Frater, vel Soror in agone vere de peccatis suis dolens, si ea confitetur; quod si confiteri non possit, saltem de suis peccatis dole-

dolorem habens, Nomen IESV ore, vel casu quo ore id præstare nequeat, saltem corde invocet; similiter plenarias omnium peccatorum suorum Indulgentias consequitur.

III.

Quicunque Frater, vel Soror, in Capella Providentiæ Divinæ semel in anno & id sexto Dominico post Pentecosten (qui dies titularis huius Confraternitatis) pro Christianorum Principum concordia, Hæresis Extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione; deuotê orauerit: plenarias omnium suorum peccatorum indulgentias consequitur.

IV.

Quicunque Frater, vel soror, constitutis quatuor in anno diebus, nempe S. Stephani, Lunæ Paschatis, SS. Petri & Pauli, ac S. Heduigis die, Capellam Diuinæ Providentiæ visitauerit, ibique ut præfatum est orauerit; Septem Annorum, & tot quadragenarum Indulgentias obtinet.

Quan-

V.

Quandocunq; huius Cōfraternitatis Frater, vel Soror, in Capella Providentiæ Divinæ Sacrum audiet, vel cuicunq; alij devotioni, Fratrum vel Sororum Congregationi præsēs aderit: quādocūq; pauperes nocturno hospitio excipiet; Pacem inter inimicos, vel ipsemet, vel per alium faciet; Funus Fratris, Sororis, vel cuiuscunq; comitabitur; ad Processionem se conferet; Venerabile Sacramē-tum, siue in Processione, siue quocunq; aliō sequetur; vel si id exequi non potest; saltem, dum Campanâ signū datur, flectet, & unum Pater & Aue MARIA orabit, vel quotiescunq; quinque Pater, & Aue MARIA, pro animabus defunctorum Fratrum, vel Sororum, persolvet, aut quandocunq; errantem ad viam salutis reducet, ignorantes præcepta DEI, & quæ illis ad salutem necessaria sunt, docebit, Verbo: quandocunq; & qualecunq; devotionis, & charitatis opus exercebit, toties pro quolibet præfato opere

Bx sexa-

sexaginta dierum de sibi iniunctis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs in forma Ecclesiæ consueta Indulgentias consequetur.

VI.

Quicunq; sacerdotum Sacrũ pro mortuo Fratre vel Sorore die commemorationis omnium animarum, & quouis die per totam Octauã; ac semel in septimana, idq; Feria quartà, ad magnum Altare in Capella Providentiæ Divinæ celebrabit; illa anima ex thesauro Ecclesiæ plenarias peccatorum Indulgentias consequetur: ita ut per merita Christi, B. V. MARIÆ: & Omnium Sanctorum, è Pœnis Purgatorij mox liberetur.

OBLIGATIONES
huius Confraternitatis

FRatres & Sorores obligantur (non tamẽ sub peccato) quovis die ter Pater; orare: unum in honorem DEI Patris, qui in Creatione mundi sua virtute omnibus prouidit. Secundum in honorem Filij; qui omnibus prouis-

prouidit in Redemptione. Tertium, in honorem Spiritus S. qui in sui mißione omnibus prouidit Qui addiscere potest; haec verba addet: Gloria Patri, qui nos creavit: Gloria Filio, qui nos redemit: Gloria Spiritui S. qui nos sanctificauit: Gloria summae & indiuiduae Trinitati DEO nostro in secula saeculorum, Amen.

Qui haec verba capere non potest: ille tantum haec verba addet: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. Sicut erat in Principio, & nunc & semper, & in saecula saeculorum, Amen.

II.

Fratres. & Sorores quouis mense unum Sacrum in honorem, & gloriam Diuinae Providentiae audire, & si Sacerdotes sunt, celebrare obligantur; tempore autem huius Sacri Litanias de Diuina Prouidentia recitare poßunt; qui legere sciunt. Alij autem tantum praedictas Orationes.

III.

Quando quis Fratrum vel Sororum moritur,

quilibet Pater pro illius anima orare quisq; tenetur, & si possibile est, in Capella Divinæ Providentiæ Sacrum audire, si verò Sacerdos est, legere.

IV.

Si Fratres & Sorores non procul à Capellâ distantes legitime non impediuntur, constitutis diebus ad Capellam conuenire debent.

PROFESSIO.

Ego N. N. DEO meo uni & Trino, propter eius multifariam hactenus mihi exhibitám PROVIDENTIAM me obligatissimum profiteor, & recognosco: Patri Creatori: quod in Creatione suâ Omnipotentiâ me ex nihilo eduxerit, & donis naturæ abundantissimè ditaverit: Filio Salvatori quod sua amarissima Passione me ex inferno exemerit, & media ad salutem necessaria mihi misericordissimè suppeditaverit: Spiritui Sancto Sanctificatori, quod me sua bonitate è peccati & ignorantiæ tenebris benignissimé extra-

xerit:

verit, & continuis inspirationibus ac gratijs adiuverit. Idcirco in gratiarum actionem pro tantis perceptis beneficijs me DIVINÆ PROVIDENTIÆ humillimê submitto, hanc adoro, & in librum Confraternitatis honori eius erectæ submissimé inscribi peto, firmiter proponens me regulas, sive obligationes Confraternitatis huius pro posse persoluturum, fiducialiterq; sperans, quod dum hic inscribor, in libro quoque Electorum me inscribere, & æterna beatitudine mihi providere dignábitur DEUS Omnipotens.

ORATIO.

à

Sacerdote super suscepto Confratre dicenda.

DEUS, qui Creaturarum tuarum voluntatem, & corda respicis, earundemque actionibus meritum tribuis, oculis

lis

tis Clementiæ Tuæ famulum Tuum N. N. qui Tuam Paternam Protectionem agnoscens totum se PROVIDENTIÆ Tuæ submittit, benignissimè respice, & PROVIDENTIA Tuâ misericorditer effice; ut hic resignationis, cæteriq; omnes eius actus & cogitationes ad majorem Tui Nominis Gloriam, ipsiusque salutem dirigantur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

****

Hæc Confraternitas DIVINÆ PROVIDENTIÆ erecta est Anno 1689. in Capella Magno Kontzicensi Ducatus Theschinensis.

